Ad Vigilium de Iudaica Incredulitate (Latin)

Pseudo-Cyprian (3rd century and later)

SermonIndex.net / Church Fathers

Ad Vigilium de Iudaica Incredulitate

Viii. Ad Vigilivm Episcopvm De Ivdaica Incredvlitate

Etsi plurimos gentilium scio, Vigili sanctissime, ab ordine atque ratione ueritatis auersos, quominus Dominum noscant, caecitate mentis errare, tamen magis Iudaicae plebis insaniam noui aduersus nomen Domini pertinaci etiam nunc duritia cordis ingenita patrum iniquitate perstare, auersantes ueram salutem nec inquirentes aeternae uitae datorem, ut qui delictis stirpis antiquae sint pari merito nequitiae genitalis obnoxii, saltim uel sero credentes possint conuerso ad Deum timore satisfactione omni paenitentiae ab iniquitatibus liberari. sed perstat et durat adhuc et semper puto durabit ad deque progeniem succidaneam innata patrum inreligiosa perfidia, quae aduersus odium nominis Domini incredulitatis insania roborata nec ad noscendam ueritatem potest corrigi nec ad timorem Dei ipsius monitis doceri atque suaderi. cum autem doceat Dominus et ostendat dicens: ego sum lumen saeculi: et qui me secutus fuerit non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen uitae, quam malum ratio est ostensum diuinitus uitae lumen omittere et mentis caecitatem malle, tenebras mortis eligere, ut ostendant damnationis suae propriae uoluntatis libera et licita perditione contra Deum etiam illa nolle quae prosunt ? secundum quod et per Domini uocem increpatam Hierusalem, quod colligi noluerit Deo illam uolente colligere, loquitur spiritus sanctus et bonitatem Dei manifestat peccatoribus subuenire iugiter uelle: Hierusalem Hierusalem, quae interficis prophetas et lapidas eos qui ad te missi sunt, quotiens uolui colligere filios tuos, sicut gallina colligit filios suos sub ascellas suas, et noluisti? adeo Dei uoce manifeste perfidi populi contumacia denotatur, ut etiam salutem propriam suam semper aduersus clementem misericordiam Domini spreuisse doceatur. propheta item alius beniuolentiam Dei exhortatione praedicationis offerens et insinuans proclamat et suadet dicens: reuertimini ad me, et ego reuertar ad nos, dicit Dominus. alius uero similiter: misericordiam suam Deus sempiternam manere demonstrans addidit dicens: nolo mortem morientis, quantum ut reuertatur et uiuat, dicit Dominus.

Quid est ergo renerti, quam in Christum credendo per eum qui est uia ueniendi ad patrem Deo reconciliatum posse saluari ? quomodo autem reuerti ad Deum possunt qui ei per quem est agnitio et reuersio ad Deum uoluntatem Dei praedicanti credere noluerunt ? aut quomodo Deum satisfactione placare poterunt, qui eum qui est satisfactio et placatio pro

nobis apud patrem sacrilega impugnatione persequi maluerunt? si enim aduocatum Christum habemus apud Deum patrem, initiare utique ea quae nos docuit et monuit quaeque apud patrem locuturus est sollicito timore facere debemus. igitur nos qui mente in Domini metum prona mandatorum eius monitis insistimus et religiosi ac uenerabilis cordis fide credulitatem de eius timore concepimus, quid aliud sequi, quid cupere, quid magis uelle ac tenere debemus, quam ut omni a nobis mentis antiquae nocte discussa et caligine uitae prioris abstersa mandatorum Domini salutarium memores ac uitae aeternae promissa retinentes ad eius monita uertamur et in ipsius lumine quod ostendit firmata credulitate gradiamur: ut qui ignari aliquando salutis futurae in erroribus implicati uitae prioris ac tenebris oberrauimus inluminati nunc eius ueri luminis claritate et ostenso nobis atque patefacto melioris uiae limite Domini mandata sequenda et gerenda teneamus.

Hoc lumen nobis uitae salutaris exortum, hoc in reparationem hominis natum de Dei patris procuratione ac miseratione praesidium. magi primi ab orientali parte uenientes et stella eius duce Iudaeorum regem palam praescia praedicatione quaerentes, adferentes etiam munera testificata omnibus inquisitione monstrarunt. et ne aliquibus quis ille esset esset absconsum, inuentum puerum procidentes genibus adorarunt, sicut testificatur euangelium dicens: cum autem Iesus natus esset in Bethleem Iudae in diebus Herodis regis, ecce magi ab oriente uenerunt in Hierosolymam dicentes: ubi ost qui natus est rex Iudaeorum. uidimus enim stellam eius in orientem et uenimus adorare eum. testificantes scilicet ueritatem de eo etiam stellam sibi signum atque indicium natiuitatis ipsius esse monstratam, qua indice natum illum magis praedicantibus et adfirmantibus et Hierosolymis crederetur. Simeon quoque iustus qui in caecitate constitutus diuino monitu audierat se non ante morituru quam uidisset Christum, cum in templum omni populo praesente infantem secum mater inferret, in spiritu Christum natum esse sensit, acceptum in manus puerum uidit et benedicens Deum in conspectu et auditu omnium dixit: nunc dimittis seruum tuum Domine secundum uerbum tuum in pace quoniam uiderunt oculi mei salutare tuum. Simeon quod caecus audierat euidenti ueritate perfectum est, et ueritatem quam accepto lumine uiderat benedicendo palam Deum populo praedicabat. ad hoc enim uiderat, ut referret, ut reuelatione sua quod Christus. natus fuisset ostenderet et perfidi populi initia prima incredulitatis instrueret.

Nec hoc solum testimonium de eo scripturarum caelestium ueritas perhibet, uerum et per prophetas ante spiritus sanctus aduentum eius in hunc mundum futurum palam mente omnium conscia praedicauit, ne esset obtentus excusationis incredulis uel ignorasse Dei filium Christum uel nescisse futurum saluatoris aduentum, sicut Dauid manifestat dicens: dies diei eructat uerbum et nox nocti indicat scientiam: non sunt sermones nec uerba, quorum non audiantur uoces eorum. in omnem terram exiit sonus eorum et trans fines terrae uerba eorum. in sole posuit tabernaculum suum. id est in manifesto in luce palam se ipsum uenisse monstrauit et praedicationem per prophetas sui ostensione quodammodo omnibus suae praesentiae conprobauit. hoc etiam Esaias, per quem Dominus ipse praesentiam suam clara adnuntiationis manifestatione monstrauit, prophetat et dicit : ipse qui loquebar ueni, id est, qui per prophetas ante aduentus mei futuri praeloquens fueram, is propria nunc

atque praeclara uoce praesentiam meam testis mei ipse manifesto. quid euidentius, quid luce praeclarius, quid uerius potest dici ? ut oculis quodammodo perspectus esset uenisse, ipse qui fuerat uenturus, antequam ueniret ostendit, et incredulitate mentes populi perfidi obstruente uenientem nemo cognouit. sicut idem Esaias in prima increpatione populi proclamat dicens: cognouit bos possessorem suum et asinus praesepe domini sui, Israel autem me nesciuit et plebs me non intellexit. palam cunctis sicut ipse praedixit apparuit et sedentibus in tenebris manifestum uitae lumen effulsit, et iniustitia perfidorum pectus obsessum postposita propria ac reiecta salute tenebras potius caecitate cordis elegit.\'

Frequentat ubique atque manifestat prophetatio cunctorum, qui sancto spiritu praemonente aduentus Domini metatores esse sortiti sunt. hunc lumen saeculo datum et diem nobis salutis exortum uiuificandis quoque in eum credentibus destinatum docet hoc in psalmis spiritus sanctus et ostendit dicens: lapis quem reprobauerunt aedificantes hic factus est in caput anguli: a Domino factus est iste, et adest mirabilis in oculis nostris. iste dies est quem fecit Dominus, ambulemus et iocundemur in eo. in hoc die nos ambulare Paulus quoque apostolus praecipiens et docens ac praemonens dicit: nunc enim propius est nobis salus quam cum credidimus. nox praecessit, dies autem adpropinquauit. abiciamus opera tenebrarum et induamur arma lucis, sicut in die honeste ambulemus. id est in Christo et mandatis eius, cuius lumine ac monitis luminati et in claritate diei eius inuenti proximam nobis salutem credulitatis in eum mente conspicimus.

Solem quoque esse Christum cunctis timentibus eum Malachias propheta testatur et promittit dicens: uobis autem timentibus meum nomen orietur sol iustitiae, et sanitas in alis eius, ostendens ex nullo nobis salutem posse conferri, nisi in passionem crucis eius, qua extendens manus cuncta saeculi saluaturus amplexus est, conuerso ad eum timore credamus et ad aeternitatem uitae spe futuri regni eius animemur. quis ergo tam stolidus ac demens, quis sic ab intellectu suae salutis alienus, qui in tot et tantis testimoniis ueritatis incredulus non aduersus sinceram fidem obduratum pectus intellectu ueritatis emolliat et e tenebris uitae quondam mortalis exutos in lumine praeceptorum caelestium gradiens ad diuina monita et Domini salutaria gerenda mandata inluminato corde tota mentis credulitate conuertat, ut quem prophetae praedicauerunt Dominum noscat, ut Christum qui se mundo palam uenisse monstrauit intellegat, ut scripturis diuinitus testificantibus Dei filium et Deum credat. sicut ipse quae sit uita aeterna manifestat dicens: haec est autem uita aeterna, ut cognoscant te solum et uerum Deum et quem misisti Iesum Christum, docens atque ostendens nihil aliud esse Deum nosse quam credere et oculos cordis in Dominum prona et immutata pectoris fide deuotae mentis aperire. inde iam fit ut credendo intellegas, intellegendo quod credis in sensu Deum illuminato corde conspicias, sicut idem ipse Dominus et per Esaiam ante monet dicens: si non credideritis, nec intellegetis. tam facilis et praestans et larga est atque abundans de Domini pietate clementia, ut si quis semel sese in eum toto timore conuerterit ad caeleste munus admissus statim iam eius non nisi ad diuina mens pateat et ad caelum ac superna oculos cordis attollens Christi lumen partae iam salutis aspiciat.

Exemplum ac documentum nostri timoris et fidei ex ipsius Abrahae patriarchae fideli credulitate monstratur, qui repromissioni Dei mente simplici statim credidit et ideo ad iustitiam deputari ei condigna remuneratione commeruit. hoc Deus diligit, hoc adpetit, hoc in semis suis benignus remunerat et honorat, simplicitatem mundi cordis quo Deum cernimus, timorem dilectionis Domini quo probamur, credulam fidem mentis qua iustitiae deputamur. hanc fidem sequi, hunc Dei timorem seruare nos conuenit, qui custodientes uerba caelestia et sperantes promissa diuina filii Abrahae meruimus nuncupari. quod apostoli Pauli qui Dei uoce uas electionis est dictus contestatione firmatur dicentis: sicut Abraham credidit Deo, et accepto latum est ei ad iustitiam. cognoscite ergo quoniam qui ex fide sunt hi sunt filii Abrahae. hoc Iudaicus populus, cui a primordio legis monita loquebantur, incredulae mentis duritia et perfidi cordis insania seruare noluit, et ideo pro diffidentiae merito filiorum nomen amisit. non tamen omnium perfidae gentis aduersus nomen Domini, quominus intellegerent ueritatem, odio durata mens est. etiamque spiritus sanctus id est Christus Dominus noster qui profectus ex Deo patre uenit ut saluum faceret quod perierat Israelis: qui maior ac fortior ad subigenda contumacium colla in timorem sui nominis et potestatem eos qui aduersus sui luminationis claritatem obstinata etiam tunc mentis caecitate duras bant ad notitiam claritatis et gloriae suae tam facile conuertit, quam ut omnes saluos faceret prouidentia diuinae misericordiae suae dignatus aduenit.

Nam ut duri cordis tunc et impiae plebis ad Domini metum ipso Domino euangelizante conuersas mentes sileam, ut apostolorum eius praedicatione multiplicatum in orbe toto et refersum credentium populum conticiscam: illud praeclarum atque memorabile gloriosumque Iasonis Hebraei Christiani et Papisci Alexandrini Iudaei disceptationis occurrit, Iudaici cordis obstinatam duritiam Hebraei admonitione ac leni increpatione mollitam, uictricem in Papisci corde Iasonis de spiritus sancti infusione doctrinam, qua Papiscus ad intellectum ueritatis admissus et ad timorem Domini ipso Domino miserante formatus et legum Christum Dei filium credidit et ut signaculum sumeret deprecatus Iasonem postulauit. probat hoc scriptura concertationis ipsorum, quae collidentium inter se Papisci aduersantis ueritati et Iasonis adserentis et uindicantis dispositionem et plenitudinem Christi Graeci sermonis opere signata est: ad cuius translationem in intellectum Latinum animante Domini ope et uiuentis fidei firmitate seruata uerborum proprietate intrepidus accessi: et his qui ab intellectu Graecae docilitatis alieni sunt interpretata integra significatione uerborum et intellectus omnis ac ueritatis manifestatione patefacta Romani sermonis ratione discussa disserui. cuius laboris probationem tibi, carissime, qui utriusque linguae instructione fundatus es, impensa petitione committo: ut qui sancti spiritus ueneratione uerecundus es conlata utriusque operis lectione audaciam uerecundae temeritatis explores et examine iudicii tui quae minus a nobis uel improprie forte digesta sunt auctoritate spiritus sancti, qui in pectus tuum inundatione gratiae caelestis influxit, comprobes et emendes: sitque ad te de ista lectione ab humilitate nostra mandata legatio et insinuanda tibi in nos prima dilectionis petitio, ut paruitatem fidei meae cum discipulorum tuorum instructione atque eruditione coniungas et me, quem in alia parte huius prouinciae constitutum propter uisendos uultus tuos non itineris longinquitas terruit nec senium ac difficultas fatigati ac fessi iam corporis

redarguit, sed animante stimulatu Domini et urgente festinato cupiditate properandi, contempta quoque omni tribulatione inopiae atque penuriae quantacumque uirium facultate ueniendi, sanctimoniae tuae celebris huc fama perduxit, ad promixtum dilectus tui caritate cum unanimitate fraternitatis admittas et amori tuo quem discipulis suis Dominus hereditatis titulo reliquit coniungas pariter et adsciscas, exspectem cum fratribus pariter in apertione oris tui splendorem gratiae luminis Christi, sequar in tractatibus tuis lumen quod Dominus ostendit, quod Christus adueniens aeternam uitam esse monstrauit.

Certe quam mihi laeta iila, quam exoptabilis dies est, cum misericordiae Domini fauore arcessitione dilata senectam istam meam proferre contigerit, ut et orationibus sanctorum impense et iugiter deprecantium Dominum Christi martyrem uideam, ut coronam iustitiae quae tibi penes Dominum deposita est portare conspiciam. nec putaueris autem martyrii tibi secundum praesens uotum desiderii nostri gloriam tribui. tunc inde felicitatis huius conlata dignatio est, tunc iudicio suo iusto Dominus elegit destinatum martyrem, cum te exemptum de iustorum grege atque adsumptum sibi de inopinato constituit altario sacerdotem. praeclara prorsus et gloriosa uocationis electio et de Domini dignatione noua atque inaudita et mini felicitas transmarinae peregrinationis necessitatibus occupatum ad destinatum tibi munus ignarum ac nescium repente uenisse atque ita regressus tui tempus ad hoc esse libratum, ut insperata celeritate ueniendi intellegeres atque dinosceres honorem sacerdotii caelestis inter ceteros tibi potissimum destinatum et quod iussione Domini exspectatus uenires atque occurreres reseruatum. ut ecclesiae suae Dominus tota miserationis pietate consuleret, dimicationis plebis mora quem potius eligeret episcopum te quaerenti populo suo Christus inopinatum repente obtulit . et complacitum sibi caelestis prouidentia manifeste aduentus tui improuisa occursione monstrauit: documentum repentini ac pernicis occursus procurationem Dei uoluntatis ostendit, ut quod difficili expeditione uix potuisset occurrere celeritate facili perfectum sit urguentis Domini iussione et ut prius te in ecclesia Dei episcopum stare conspiceres et stuperes quam uenisse dinosceres.

Inde dilectionem iam tecum suam Dominus initiata caritate firmauit, inde amicitiam tecum quam discipulis suis sub triumpho crucis suae tradidit dedicauitque dicens: si feceritis quae mando uobis, iam non dicam seruos uos sed amicos, inde martyrium, inde sacerdotii electionem signauit. amicitia est, per quam ad Christi uultus admitteris, extraordinaria hostia peruenire. sic eliguntur iusti, sic probantur religiosi ac simplices in Christi timore electi, ut ante remunerationi fidei destineris, ante praemio deuotae mentis in Domino dignus habearis, quam uenerit hora decreti, quam exceperis sententiam Christi, probatam te et paratam hostiam electio caelestis inueniat. etenim ille te qui non mendax est Deus, qui episcopum plebi suae de improuiso constituit, ille plena dilectione suae uoluntatis te coronabit. tantum tunc ut nostri memineris petimus et oramus, cum pudicitia t adlectionis Domini probata atque immaculata hostia ante Christi tribunal adstiteris, cum gloriam gratiae Dei praemio deuotae mentis ac remunerationem exceperis, memoriter haereat et tenaciter sensibus tuis maneat quam nobis impertire dignaris dilectio caritatis: ut orationibus tuis peccata nostra uel ueniam consequantur, ut meritis iustitiae tuae uitae nostrae delicta purgentur. etenim martyrii instar esse confido, peccatorem iusti martyris petitione meruisse

saluari, et ut cum ipse pro te promouere quid precibus tuis minus possis martyris meritis libereris. sic Iob iustus pro amicorum trium peccatis a Deo rogaturus et impetraturus ostenditur, et probatio timoris eius et fidei Domini uoce teste signatur. cum ergo in die liberationis tuae, carissime, repraesentare te Christi uultibus coeperis, cum in aeternitatem perpetuitatemque uiuendi regnare cum Christo felici sorte successeris, pro Domini misericordia in mente me habe Celsum puerum tuum, sanctissime.

Source. Latin text from the Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (CSEL) collection of the Open Greek and Latin project (digital edition of ***S. Thasci Caecili Cypriani Opera omnia*** edited by Wilhelm von Hartel (Vienna, Gerold: 1871) Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum 3.3), encoded in EpiDoc TEI XML. Digitised and corrected by the Open Greek and Latin team (University of Leipzig and partners); the text is taken from the printed edition by OCR with correction, so some errors may remain. SermonIndex has only divided it into short sections for reading; the critical notes, margin notes and apparatus of the printed edition are not shown here but are kept in the XML download.

Licence. Creative Commons Attribution-ShareAlike 4.0 International (CC BY-SA 4.0). You may share and adapt this text if you credit the Open Greek and Latin project and release your version under the same licence.